

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois.

Appendix, Lavardin Nr. 22

Successorum nostrorum noticie monachorum scilicet Sancti Martini Maioris Monasterii insinuare curamus, quandam virum Ulricum nomine, cognomine malumclericum, donasse eidem Sancto confessori et eius monachis medietatem molendini in villa que dicetur Lenda, unumque agripennum prati, que multis annis quiete habuimus, quandiu videlicet dictus donator advixit. Eo vero defuncto, mox Hugo prepositus castelli Vindocini calumniavit nobis supradictam molendini medietatem, invadens ipsum auferensque ex inde ferrum. Interrogatus cur hoc faceret, respondit illum virum, id est Ulricum, a patre suo Archembaldo libertate donatum, et pro hoc beneficio omnia que emendo adquisierat de eodem suo domino tenuisse, ac si de eius fevo ea haberet. Quia ergo medietas illa molendini, hac ratione, de eius beneficio erat, dicebat non nos posse hanc sine patris sui vel suo, qui eius heres erat, assensu recte habere. Nos autem, nec litteras habentes quibus probaremus patrem eius vel ipsum auctorasse donum quod Ulricus nobis dederat, nec testes idoneos inde invenientes, coacti sumus pretio redimere ab eo sepedictam donationem. Dantur itaque ipsi Hugoni a domno Hugone priore tunc lavarzinensis celle, propter hoc auctoramentum L. solidi. Fratri eius Gauffredo ut ipse quoque huic rei assentiret II. solidi, alteri fratri eorum cui nomen erat Guillelmus, quique tunc noluit auctorare quando fratres eius, dati sunt postea quinque solidi, ut hoc ipse quoque assensu suo firmaret. Quod et fecit presente fratre suo Hugone et comite Burchardo set et Landrico homo Sancti Martini. Testium qui huic placito et auctoramento affuerunt, nomina subterscripta tenentur. Hugo prepositus – Gauffredus frater eius – Buschardus comes – Hugo calvus – Gervasius filius Lancelini – Nihardus Rufus – Arnulfus frater eius – Arnulfus de Spelteriis – Drogo filius Fulberti – Rotbertus de Carco – Hugo pretus – Guarinus grossus – Ludovicus de Loches – Hulbertus de Loches – Gaufredus filius Tedonis – Hilgodus filius David vicarii – Alcuinus coquus – Hugo monachus – Rotbertus monachus – Gauffredus prepositus noster.